



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita duorum mirabilium virorum, Theodori philosophi, & Zoili lectoris.
Capvt CLXXI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

re hoc in loco seruus Dei est. Ingressi igitur nemi-
nem vidimus. Solummodo autem cuiusdam va-
gientis vocem audiebamus. Cum ergo diu qua-
sissimus, inuenimus veluti praesepium, & in eo
iacentem quendam, appropinquantesq; seruo Dei,
rogabam^o, vt verbu loqueretur nobis. Cum nihil
responderet nobis, tunc accedentes tenuimus eu,
& corpus quidem ipsius adhuc erat calidum, ani-
ma autem ad Dominum migrauerat, Tunc vero
agnouimus, quia in ingressu nostro intra spelun-
cam requieuerat. Fodimus ergo in ipsa spelunca
vnusque ex nobis pallium, quo erat indutus ac-
cepit, vt in ipso senis corpus inuolueret. Sumen-
tes autem illud de loco, in quo iacebat, cum ip-
sum ex more curarem^{us}, inuenimus esse mulie-
rem, & glorificauimus Deum. ² Completoque
super illud officio, sepeliuimus.

¹ Ecce peregrinatio ad loca sancta Orationis gratia.

² Completo officio, hoc est recitatis hymnis, & psalmis
de more Catholicae Ecclesiae.

*Vita duorum mirabilium virorum, Theodori
philosophi, & Zoili lectoris.*

C A P V T CLXXI.

ERANT in Alexandria duo viri mirabi-
les, magnaeq; virtutis, Abbas scilicet Theodo-
rus Philosophus, & Zoilus Lector: Fuit au-
tem nobis cum vtroque summa familiaritas, cu
altero quidem disciplinae, & studiorum gratia,
cum altero vero, quod communis nobis esset pa-
tria, & educatio. Atque Abbas quidem Theodo-
rus nihil possidebat, nisi penulam, & paucos li-
bros, dormiebat autem in scabello, ac in quancu-
que Ecclesiam ingrediebatur. Ad vltimum vero
etiam seculo renunciauit in coenobio Salcime,

Gg 5

ibiq;

ibi que vitam glorioso fine conclusit. Lectorum
 rem Zoilus, & ipse æqualem præferbat pauper-
 tatem. Nihil enim ipse quoque possidebat præter
 vetustam penulam, & paucos libros. Exercebat
 autem se in scribendo libros. Et ipse autem consum-
 matus in Domino, sepultus est in monasterio Ab-
 batis Palladij.

DE duobus istis, Theodoro scilicet Philoso-
 pho, & Zoilo Lectore, pergentes quidam
 patrum ad dominum Cosmam Scholasti-
 cum, interrogauerunt eum dicentes: Quis eorum
 magis in spirituali exercitio laborauit? Qui autem
 ad illos: Similia quidem fuerunt vtriusque & ali-
 menta, & stramenta, & indumenta, rerumque, &
 omnium superfluarum abstinentia, & nuditas, &
 humilitas, & frugalitas. Sed Abbas Theodorus
 Philosophus discalciatus in magna imbecillitate
 oculorum vetus omne, nouumque testamentum di-
 dicit. Habuit tamen consolationem fratrum, con-
 tubernium, & visitationes amicorum, auocati-
 onemque multam, cum doceret, & cum operare-
 tur. Zoili vero Lectoris non solum hospitalitatem
 laudanda, verum etiam solitudo eius & immen-
 sa fatigatio, orisque custodia, digna commenda-
 tione est. Ille enim sine amicorum, familiariumque
 contubernio, atque commercio, ab omni secularium
 rerum actione feriat, nulli se ipsum refri-
 gerio, & oblectationi permisit, ne minimum qui-
 dem ab vlllo ministerium admittens: Ipse enim
 coquebat, ipse lauabat, nulla lectionum: capere
 solatia, paratus semper alijs obsequi, nullamque
 habens curam æstus, aut frigoris, aut corporis in-
 firmitatis, mundus semper à risu, & tristitia, & de-
 fensione, & angore existens, qui præter indumentum
 asperitatem, etiam à multitudine pediculorum indelinit.

ter consumebatur. Habuit tamen & iste plusquā prior ex processibus non mediocre refrigerium, habens facultatem liberam quocunq; vellet, die, noctuque procedere, quamuis hanc libertatem, & laboris magnitudo retundebat, & raro processu seculariū familiaritatē excluderat. Vnusquisque igitur mercedem propriam accipiet, & secundū labores proprios, & iuxta resurrectionis mēsuras, & intellectualis spiritalisque munditiæ, & ministracionis, & timoris Dei, ac charitatis, & cōpunctionis, & iugis psalmodiæ & orationis & intentissimę fidei, & occultæ hominibus, latentisq; virtutis.

¹ Vide in hoc capitulo virtutum catalogum, quæ duos sanctos viros valde commendabiles reddiderunt.

Vita prædicti Cosmæ Scholastici.

C A P V T. CLXXII.

DE isto domino Cosma Scholastico, multi quidem multa, & alia alij, & plurimi plurima nobis retulerunt. Quæ verò nos vidimus, & quæ diligenter affecti sumus, ea tantum pro legentium vtilitate conscribimus. Erat enim vir iste humilis, misericors, abstinens, ² virgo, quietus, sine ira, socialis, peregrinorum susceptor, amator pauperum. Plurimum itaque nobis vtilitatis contulit vir iste mirabilis, non solum ex aspectu, sed etiam ex doctrina sua, & quod magnam haberet librorum copiam super omnes, qui erant in Alexandria, eosque promptè, ac libenter volentibus accommodaret. Erat autē & nihil possidens. In tota nanq; domo eius nihil vidiſſes aliud, quàm libros & scabella, & lectulū, & mensā. Licebat verò omnibus ingredi, & interrogare, quæ ad vtilitatē pertinerent, & legere. Diebus autē singulis intrabam
ad